



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola VII. Grgeorii Papae I. Ad Anastasivm Episcopvm Antiochenvm.
Aegre fert se multis occupationibus deprimi, & ab eo laudari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

dum maestaueras, cur iam manducare per obedientiam nolebas? Aut nescis quia easdem quas scripsisti bestias oris tui gladius occidere recusauit? Quas ergo per compunctionem occidere potueris, de illis necesse est ut in tui desiderii fame satieris. De causa autem fratrum nostrorum, ut scripsisti, ita futurum, si Deus adiuuet, aestimo; de qua modo serenissimis rerum dominis scribere omnino non debui, quia in ipso initio non est a quæstibus inchoandum. Sed dilectissimo filio meo Honorato diacono scripsi, ut opportuno tempore eis congrue suggerat, & mihi responsum sub celeritate indicet. Domnum Alexandrum, dominum Theodorum, filium meum Marinum, dominam Eusiriam, dominam Eudochiam, & dominam Dominicam, mea peto vice salutari.

EPISTOLA VII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANASTASIVM EPISCOPVM ANTIOCHENVM.

Ægre fert se multis occupationibus deprimi,
& ab eo laudari.

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.

PISTOLAM beatitudinis vestræ, ut fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, umbram æstuans accepi. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic specialem amorem suum, quem gestabat, aperuit, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit quod secutum est: quia amor vester terrena me portare onera præcepit: & quem prius spiritualiter diligebatis, postea, ut existimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depresso, ita ut omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: *Incuruatus sum, & humiliatus sum usque quaque.* Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenus erigatur. Multis enim causarum fluctibus quatior, & post illa quietis otia tumultuosæ vitæ tempestatibus affligitur, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demerit me.* Periclitanti igitur mihi orationis vestræ manum tendite,

vos

Ioann. diac.
lib. i. c. 49.

Psal. 118.

Psal. 68.

vos qui in virtutum litore statis. Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodeesse multis que posse lucere perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accedit, ut, cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. Quibus autem hoc in loco terrenarum rerum tumultibus premor, explere verbis nequeo: quod tamen colligere ex breuitate epistolæ potestis, in qua ei minus loquor quem plus omnibus diligo. Præterea indico quia a ferenissimis dominis quantis valui precibus postulaui, ut vos, honore restituto, ad sancti Petri apostolorum principis limina venire, & quousque ita Deo placuerit, hic mecum viuire concedant, quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tedium de æterna patria inuicem loquendo releuemus.

Ioan. diac.
lib. 4. cap.
25. epist. 81.
lib. 4.

EPISTOLA VIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD BACANDAM EPISCOPVM FORMIENSEM.

Minturnensem ecclesiam desolatam
Formiensi vnit.

Gregorius Bacandæ episcopo Formiensi.

Et temporis necessitas nos perurget, & imminutio per-
sonarū exigit, ut destitutis ecclesiis salubri ac prouida
debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniā eccl-
esiā Minturnensem funditus tam cleri quam plebis desti-
tutam desolatione cognouimus, tuamque pro ea petitio-
nem, quatenus Formianæ ecclesiæ, in qua corpus beati
Erasmi martyris requiescit, cui fraternitas tua præsidet,
adiungi debeat, piam esse ac iustissimam prouidentes, ne-
cessarium duximus, consulentes tam desolationi loci illius,
quam ecclesiæ tuæ paupertati, redditus supradictæ ecclesiæ
Minturnensis, vel quidquid ei antiquo modernoque iu-
re, vel priuilegio potuit potestve qualibet ratione com-
petere, ad tuæ ecclesiæ ius potestatemque hac præcepti
nostrî auctoritate transmigrare: ut a præsenti tempore,
sicut de propria ecclesia debeas cogitare, eique compe-
tentî tua prouisione disponere, quatenus deinceps, quod
perire nunc usque potuit, pauperum ecclesiæ tuæ utilita-
tibus plerisque proficiat.

Iuo p. 3.
cap. 39.
Ioan. diac.
lib. 3. c. 14.

Concil. Tom. 13.

Y